Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cccvij

uersus primam familias dicens.
Hy nouissimi vna hora fecerunt: et pares illos nobis fecisti.
qui portauimus pondus diei et æstus. At ille vnicuique eorum dixit. Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum. Tolle quod tuum est et vade. Volo autem et huic nouissimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi facere quod volo. An oculus tuus nequam est. quia ego bonus sum. Sic erunt nouissimi primi. et primi nouissimi. Multi enim sunt vocati pauci vero electi. offertorium. Bonum est confitemini domino et psallere nomini tuo altissime. secreta. Munera quæsumus domine pro populi tui sacrificiis et cælestibus nos munda muneribus et clementer exaudi. Per. Communio. Illuminabit faciem suam super nos deus. et salui erimus. hæc facit nobis domine non confundar quoniam inuocauit te. Postcommunio. Ideles quæsumus domine familiam tuam donis fortificet. ut eadem et capiendo requirant. et quæ recto sunt hæc peragant. Per.

Lectio. Ad hebreos. Festinemus ingredi in illam requiem: et ne in id ipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Viuus est enim sermo dei et efficax. et penetrabilior omni gladio ancipiti. et pertingens usque ad diuisionem animæ et spiritus. compagium quoque et medullarum. et discretor cogitationum et intentionum cordis. et non est ulla creatura invisibilis in conspectu eius. Omnia autem nuda et aperta sunt oculis eius ad quem nobis sermo. Habentes ergo pontificem magnum qui penetrauit celos iesum filium dei teneamus confessionem eius. non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine sine peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ. ut misericordiam consequamur et gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Per ipsum dominum nostrum. S.

Nullo tempore egressus iesus inde ibat per galileam: nec volebat quemquam scire. Docebat autem discipulos suos: et dicebat illis. Quia filius hominis tradetur in manus hominum et occident eum. et occisus tertia die resurget. At illi ignorabant verbum: et timebant eum interrogare. Et venerunt capharnaum. Cum autem domi esset: interrogabat eos. Quid in via tractabatis. Illi autem tacebant. Siquidem inter se in via disputauerunt: quis esset illorum maior. Et residens vocauit duodecim: et ait illis. Si quis multum primus esse: erit omnium nouissimus et omnium minister. Et assumens puerum statuit eum in medio eorum. Quem cum complexus esset: ait illis. Qui